

aliàs illud hominum genus impunè occidere liceat. Angel. Aretin. *ad l. ult. C. de Delator. lib. 10.* Hinc si captivus fateatur proditionem, interrogari debet. 1. *Quis eum ad tale perpetrandum conduxerit?* Plerumque enim istiusmodi proditiones ex conventionè prævia descendunt, dum scilicet sunt, qui cum eo pacti sunt ad faciendam proditionem, qui scilicet ejus opera utuntur; ut proditio fieri & peragi queat. 2. *Quid exinde acceperit loco præmii vel mercedis promissæ?* Nam proditiones plerumque ab avaritia trahunt ortum. Etenim uti Tacitus *l. II. Annal.* ait: Ubi magnitudo quæstum spectatur, rarò fides manet integra. Et Cicero *in Orat. pro Roscio Amerino* ait: Nemo conatur ad maleficium accedere sine spe atque emolumento. Exempla vide apud Chokier, *lib. 6. cap. 8. pag. 24. & seqq. Aphorism. Politicor.* Philippus Macedoniae Rex nullum locum inexpugnabilem esse dicebat, modò ad eum pateret aditus asini auro ornati. 3. *Ubi*, id est, in quo loco fecit proditionem: numquid ipse accesserit ad locum, ubi proditus latuerit, aut saltem in loco publico vel privato proditionem perpetraverit. 4. *Quomodo* proditio facta sit, ore scilicet vel scripto: clam vel aperte. Multi enim in promptu proditoribus sunt modi, quibus illud scelus perficiant. 5. *Quo tempore* peracta sit proditio; numquid belli vel pacis tempore, noctu, vel interdiu? tempore publici conventus, uti in Nundinis, vel alio aliquo tempore. 6. *Quibus de causis fuerit inductus ad peragendum tale scelus.* Circumstantia siquidem finis multum valet in civilibus ac moralibus, cum exinde ferè ratio delicti unà dependeat. Multum quoque refert, an quis sciens non tantum, sed etiam volens, vel coactus proditionem fecerit. Memorat Mantzius *ad h. art. p. 210.* quod ædituus quidam diu detentus fuerit in carcere, ut indicaret thesauros à Prælate absconditos. Hæc sanè modò recensita indicia multum faciunt ad veritatem criminis ut eò melius constare possit, numquid ne sponte sua, an coactus proditionem exercuerit. Qua in re multum momenti situm est, præcipuè unde pœna vel augeri, vel etiam imminui poterit, quemadmodum illud quoque in aliis delictorum circumstantiis observare licebit. Legi de hoc delicto merentur Jul. Clarus *lib. 5.*

*Sentent. J. fin. question. 68. num. 106. Farinaceus*

*question. 18. num. 73.*

*& seqq.*

ARTI-